



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Dictamina Prudentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

100. Censebant Sapiëntum nonnulli Principi plus mali obvenire posse à domo propria, quàm ab hostibus externis. Ità sibi persuasit Antigonus, dum orabat: servaret illum Deus ab hostibus & familiaribus. Rogatus cur non potius peteret servari ab hostibus solis; reposuit: *illum, qui palàm adversatur, cavendo facile evitare possum? ast ab eo, qui latet sub specie amici, quis me nisi Numen præservet?* Non sunt occultiores insidiæ, quàm quas construit Adulator ambitiosus, & invidus.



## Dictamina Prudentia.

### DECAS I.

**O**ptimus Prudentiæ Magister experientia est: nullam artem minori sumptu addidiceris. Quid facilius, quàm sapere insaniâ? ut aptè rebus utaris, occasio facit. Sapiens eam prospicit, antequam adsit, stultus post tergum respicit ubi transierit.

2. Princeps Prudentiæ ratio est non præsentibus solùm intendere, sed futuris. Oculos Lyncium referunt penetrare mu-

ros,

ros. Certius est, prudentis aciem penetrare omnia tempora: recordatur præteriti, operatur in præſenti, & futura disponit.

3. Qui cupit doceri prudentiam absque Magistro, arguat se in eo, in quo alios reprehendit. Seipsum docet, qui alienos nævos objecerit sibi.

4. Amusſis actionum tuarum Ratio sit. Nulli bene feceris, quia amas: nullum punieris, quia odisti. Iratus neminem castiga: gaudio perfusus abstine largiri; non quòd largiendum non sit cum hilaritate, sed quòd non deceat propter illam.

5. Felicius evenit, quod prudentiâ dictante, quàm quod ex confidentia fortunæ suscipitur. Melior est dubius eventus cum maturo consilio, quàm felix cum temeritate.

6. Secretum clavis est cordis. Frustrâ quereris pervenisse ad omnes, quod non poteras uni subticere. Quod volueris plures ignorare, illud dixeris omnino nulli. Quî potes alterum ad secretum obstringere, qui per eandem confidentiam, quâ silentium imponis, violas?

7. Fatuus, dum silet, sapientem simulat; sapiens autem tacendo confirmat se esse. Lingua parca augurium est largæ mentis. Nihil periculosum minus, nec honorificum magis quàm temperantia linguæ; uti ex adverso nihil periculosum magis & honorificum minus ac verborum abundantia.

8. Noli confidere alteri, quod nondum certum est tibi. Si res potentem tangat aut prædivitem, quod in aurem murmuraveris, credito divulgandum per orbem universum. Assentator enim divinat de internis, & quasi jam factum judicat, quod vix cœpisti cogitare.

9. Proficue errat, qui bene loquitur de omnibus, neque cenferi potest adulatio (pestis humanæ conversationis) quando non potentes solum, sed & illos commendamus, quos fortuna despexerit.

10. Lingua bona hoc scœnore gaudet, ut de ipsa loquantur omnes bene, quæ de nullo novit loqui malè.

*DECAS II.*

11. Affectant aliqui prudentiam, irascendo singulis, & critizando, quæ alii probârunt,

rint,

rint. Parùm amiseris commendando, quod alter appetiat, & minùs periculi subis laudando res vaniculi, quàm ipsum vanum.

12. Intempestivè se arguit, qui præmatùrè studet placere. Lepidum quoque est, condemnare se, ubi nemo accusator est. Non quæsitus tace: cùm rogâris, tum primùm respondendum est. Accusationem si certam nosti, expedit dextre prævenire: dubiam aut nullam negligere; nè scilicet à se ipsa vires accipiat damno tuo.

13. Præstat injuriantem pati, quàm adulantem. Quis enim te majori injuriâ lædit, quàm qui fallit, & sano judicio privat? Utrisque aures obdurandæ sunt, adulantibus tibi, & calumniantibus alios.

14. Injurias à potentibus illatas accipe uti exemptas: neque enim adversùs illas conqueri potes, & si potes, non convenit. Pateat semper accessus, ut te ament, quibus indigueris.

15. Insipiens est illa Ratio Statùs, malù malo ideo refundendum esse, ut alii timeant idem experiri, qui idem perpetrârunt. Hoc est palliare vindictam specie præven-

præventionis: Et verò utro magis conciliabis amicos, metu, an benevolentia?

16. Periculosum est lædenti veniam differre, nè dicam, negare. Desperatio enim audaciam gignit, & qui in modico offendit, quasi semper hostis futurus colligit iram, roborátque se complicibus in ictum graviolem. Deposítum semel ruborem aut respectú non facile restitueris.

17. Fallenti semel, qui se confiderit, non habet ubi damnum excuset: ipse sui mali author est. Verùm dissimulanda est diffidentia, nè fallentis malitiam acuas, novásque vires subministres vindicandi se jam in diffidentem, qui priùs fefellerat confidentem.

18. Usus hominis bonum opus; usus linguæ, verba. At his fidem non obliges, nisi opus te convincat. Abstinent multi loqui malè, sed & negligunt operari bene. Divinanda est adulatio, & experimentis probanda, ac tum demum solvenda fides, cùm operibus exigitur.

19. Potentem, aut in sublimi positum caveas offendere: loco illi exemptio debetur. Sed neque amicum ipsius: quin & hunc

hunc minùs. Plus enim irritatur animus ex injuria, quæ amico infertur, ac ex damno, quod irrogatur sibi. Ingenuus satisfacit sibi potentiâ vindicandi; at pro amico in ipsam vindictam accenditur. Usus enim potestatis, qui in causa propria videbatur debilitas, in aliena debitum dilectionis.

20. Sumptuosa est injuria, quæ potenti infertur. Minimam molestiam non refuderis mille obsequiis. Unusquisque enim honorem sibi debitum censet, tamque ambit suspici, quàm horret contemni. Unica injuriola plus confert ad iram, quàm multa blandimenta ad amorem.

*DECAS III.*

21. Ars magna vivendi est nosse pati. Huic fundamento Virtus inædificatur. Nemo magnus evadit, nisi tolerando. Plus æstimo hostem ferre, quàm aggredi.

22. Genus victoriæ præstantissimum est seipsum vincere. Principes aliena manu victores fiunt; vincere seipsum est opus virtutis propriæ.

23. Inferre injuriam etiam vilissimum potest, tolerare non nisi magnanimus.

Nih

Nihil æquè facile, ac malum inferre: nihil æquè difficile, ac sufferre.

24. Geminat vires inimico, qui invitus est pati: dum se offensum queritur, docet unde offendi possit, ac ratione quadam provocat. Nam sicut qui benefacit amat illum, cui benefecerit; sic qui offendit, offensum solet odisse.

25. Ut ames, omnes boni sunt, ut ode- ris, nullus. In consortium adhibendi non nisi boni: in amicitiam veram, animæque, licet unus sufficiat, vix tamen illum repe- reris. Non benefaciendo solum amicos facis, facis & mala sustinendo.

26. Malus, dum se fingit bonum, pessi- mus est. At fictio non perdurat; ferendo larvam detrahes. Expectatio vicem ra- tionis subit, & tempus aperit quod inge- nium non comprehendit.

27. Amicos lauda in publico, reprehen- de in occulto. Vitia illius tua facis, si dis- simulas. Inter plurima, quæ Domitianus malè egit, unicum dixit bene: *Irritat que- rulum, qui non corrigit.*

28. Nummus mancipium est scientis uti, Dominus ignorantis: Sapiens aurum ho- nestet,

neſtet, ſapientem uſus. Plurimum acci-  
pit, qui dat indigenti: nam miſericordi-  
ſcœnebris eſt magis danti, quàm acci-  
pienti.

29. Poſtulanti citò occurre, mora be-  
neficium imminuit, velocitas geminat.  
Saltèm minùs fallit, qui citò negàrit.

30. Ob eſt multis indigentibus ingra-  
tus unus. Actu unico peccat multiplici-  
ter. Cauſat non dari ab uno, à multis non  
accipi. Ibi ſiſtit beneficentiam, hìc au-  
get egeſtatem.

*DECAS IV.*

31. Liberali eadem ſors eſt cum ſem-  
nante. Aliud ventus aufert & diſſipat  
aliud aues devorant, & in ſimum vertitur.  
At quod in terram bonam ceciderit, re-  
det fructum cum ſcœnore in tempore ſu-

32. Largiens cùm opes affluunt, re-  
priet, cùm defluerint. Duplicat donum  
qui erogat non reddituro. Cunctos o-  
ſtringit, qui merenti tribuit, neminem  
qui immerenti: nam hic ingratus erit, ca-  
teri inſenſi.

33. Qui nihil erogat, depositarius eſt  
hæredis. Hic planget defunctum, & ridet

bit defungi. Commune quidem, sed ingens monstrum est, senex avarus. Par huic opulentus, qui pluribus inhiat; ejus cupiditas est blandiens egestas.

34. Malè negaveris alteri, quod ipse aliquando petiturus es; neque bene experieris, quod eras negaturus. Justitia non est neganda poscenti, neque misericordia merenti.

35. Delicata res est, beneficium perdidisse. Satis est dati meminisse, satis poenituisse. At imprudens est, quem poenitet. Bis enim perdit quod dedit: rem datam, cum alienat, & donum, cum meminit se dedisse. Quin salvum ex illo est, quod optimum: dedisse.

36. Mavelis semper dare, quàm accipere. Illud est obstringere alterum, & effici Dominum; hoc est obstringi, & fieri mancipium. Dans beneficium vincit, accipiens vincitur. Quæ erogasti, noli vulgare, nè donum vertas in injuriam. Quæ autem accepisti, liberè annuntia & gratis gratus eris.

37. Penè idem est, ingratum esse, ac queri de beneficio non accepto. Nam hic

non usum liberalitatis interpretatur inju-  
stitiam & quod potuit accipere, credit de-  
buisse erogari. Hoc autem est confundere  
usum justitiæ cum usu liberalitatis, debitum  
liberali affingere, ut gratitudinẽ excuses

38. Qui dederit sæpius non se obstringit  
ad largiendum semper: potius acquirit  
jus ad negandum aliquando, si vel semel  
donum amiserit. Verum qui semel acci-  
pit, non acquirit per hoc actionem ad pe-  
tendum sæpius.

39. Ingratitudo res est usitatissima. Me-  
moria beneficii cum Sole occumbit; raro  
ultrà extenditur. Solent magna beneficia  
magnis injuriis extinguere. Credunt enim  
se absolvi onere gratitudinis, quibus fidei  
tollitur enormitate injuriæ succedentis.

40. Ex favore potentis noli præsumere,  
neque fidito affectui ipsius. Alienis ali-  
nemo Icarus promovet volatum. Etiam  
in magnis fortuna variabilis est; tamen  
illa perstet, mutari tamen potest condi-  
tio, & affectus.

#### DECAS V.

41. Si te illustret Potentiorum felicitas  
imprudenter egeris opponendo te Soli,  
obun

obumbrando alios, præjudicio tuo. Memento Solem quotidie oriri & occumbere, neque sapientis esse, unius benevolentiam aucupari, ut hostis sis plurimorum.

42. Gratia Principis servire non debet, ut cuius sit malè, sed ut omnibus bene. Ità favore ejus utere, ut omnes illum existiment suum, ut gaudeant se amare, quem Rex coluerit.

43. Quòd si favor ille non pateat omnibus, sic utere, ut alius ignoret. Ubi semel in publicum venerit, jam juris est communis. Neque tunc indignari licet postulatis aliorum, aut te ab intercessione subtrahere, licèt effectum suum non consecuturâ. Suppleat desiderium auxiliandi impossibilitatem auxilii, quæ nimirum non consuevit nisi neganti imputari.

44. Qui architectatur festinanter, periclitatur de fabrica; & quod citò conficitur, citò quoque destruitur. Tametsi favores affluant, non properes exaltari. Ascensus enim præproperus augurium est casûs.

45. Ama mediocritatem, quæ securior est à periculis, & liberior à damnis. Ma-

C;

gna

gna felicitas sibi ipsi onerosa est. Elatae turres fulminibus prostant, humiles casas demissio praeservat. Corpora saniora prima aegritudo prosternit.

46. Inter humanos affectus nullus aequo metuendus ac spei, inter homines ipsos nullus magis ac meticulosus. Quid spei humana fallacius? quid periculis obnoxium magis? Magnificat dissita fallaci viatro, & quia parum callida est, ludit ac luditur nunquam eventuris. Velut gulosa puella acerba praeripit poma, & dum fruitur, acerbitudine laborat.

47. Nulli quoque timendi magis, ac timidi: dolis enim suppleant virium defectum, & quod nequeunt animo, praestant insidiis. Minus periculi habet hostilitas aperta, quam dolus occultus.

48. Timidi viles sunt animo, suspiciosi creduli, crudeles semper intenti periculis praecavendis, etiam ubi non sunt: inde mille suspicionibus obnoxii, quae uti non fundantur in veritate rei, sed debilitate animi, ita consueverunt esse falsissimae. Quia tamen aestimantur ut verae, odium concitant in insontes; hoc autem suadet vindic

vindictam, aut atrocius aliquid in periculo, quod metuunt, aversionem; & quia animus deest, armantur insidiis. Demum ut securos se reddant, evertunt omnia, semper timentes, nisi prostratos videant, quos timuerint. Penè prodigos dixerim, cum tantis impendiis emant securitatem.

49. Non minùs metuendus est, qui metuit egenus esse. Nam avaritia magistra est crudelitatis, & quod deest virium, supplet nequitiâ: imò atrocior est, cum infirmior.

50. Ubi nihil speres, nihil quoque est, quod metuas. Malum absque remedio, timere omnia absque discrimine. Qui ad omnem motum pavescit, ante necessitatem angitur ultra necessitatem affligitur. Quodsi in se redux non collegerit vires, cassa quoque erit omnis præventio.

*DECAS VI.*

51. Si semper memineris te hominem esse, calamitates non videbuntur insolitæ; & si respexeris ad alienas, credes tuas esse minores. Decrescunt magna comparatione majorum.

52. Interest, quâ parte res apprehendas:

indè tutius est, unde te non urant. Pauci infelices sunt, nisi comparatione feliciorum. Infelicitas si communis sit omnibus, aut solatur, aut non affligit. Miseria, quam in altero majorem vides, nomen infortunii amittit.

53. Quid venaris in campo alieno? domi tuæ habes, unde gaudeas, unde beatus sis. Corpus animusque ritè dispositus optimum est lætitiæ condimentum. Cibus fames obsonat, non aroma.

54. Temperantia dulcia dulcorat magis gustumque irritat. Amara est omnis voluptas, quæ non conditur licito: intrita cum virtute dulcissima est. Conscientiæ bonâ dulcescunt aduersa omnia.

55. Nemo hostis tam vilis, qui timendus non sit. Quin quò vilior eò promptior ad nocendum. Volenti obesse, aut nolenti annuere, nunquam color deest. Pericula contempta revertuntur citissimè.

56. Lucrosa distractio est bonum confortium: malò virtus corrumpitur, & orbatur fide ac luce sua. Consilium bonum dirigit, exemplum animat. Utrumque in bonis reperire est: docent bona, & alligunt.

ciunt. In perversis contrarium habetur: malè svadendo perdunt, malè agendo roborem tollunt. Inter plures malos facile est periclitari aliquem bonum.

57. Multas injurias dissimulatio sepelit. Earum non ille solùm causa est, qui infert ex odio, sed qui accipit cum imprudètia.

58. Non videri sensisse injuriam, innocens est vindicta. Lædens intendit affligere, læsus autem dissimulando vicem reddit, frustrans spe pessimum offensorem, & torquens in malitia sua.

59. In rerum eventibus non expedit commoveri; saltèm sensum nè monstaveris. Si adversum quid est, dissimula; nè hosti gaudium parias; si fors prospera, non plaude nè ambitiosum irrites.

60. Ibi miles urbem aggreditur, ubi debilior est. Cur te detegis hosti tuo, ubi infirmus es, ubi feriri potes? Prudentis est sensum tegere, nè quis noverit, ubi possis vulnerari.

*DECAS VII.*

61. Ut alterum possideas, affectibus ejus invigila. Hac porta muros subibis, & animum occupabis. Artis est nosse placere,

re, & forſitan non minoris felicitatis, modo aſſentatio abſit.

62. Morosè negotia auſpicanda ſunt, finienda celeriter. Ut bellum citò abſolvās, & auſpicatè, plurima obſervanda ſunt. Dimidium facti habet, qui maturè prævolverit.

63. Stultum eſt exiſtimationem nè perdas, deperire. Hoc accidit, cùm eam verbis defendimus: quibus ſi paſſio acceſſerit, etiã ſi ratio ſubſit, facilè excedimus, amittentes plùs authoritatis defendendo illam, quàm hoſtis impugnando.

64. Invidia eſt tinea fortunæ. At duobus modis præſtat invido, qui invidiam patitur. Hoc enim turpiſſimum vitium eſt, illud periculum honoratum.

65. Nihil magis inimicum homini, ac alter homo. Valentiffimum eſt hoc invidiæ virus: ubi infecerit, non admittit antidotum. Plures hoſtes negotiatur æmulatio, quàm injuria. Invidia autem mediũ non habet: ſemper nocentiſſima eſt; ſolùm prodeſt, cùm virtutẽ impedit.

66. Paſſionibus irretito credendum eſt parùm: alieno à lucris, & munerum corruptio-

ruptione plurimum : invidioso nihil.

67. Plus amittitur in turpi lucro, quàm honesto damno. Hoc affligimur semel, illius semper poenitet.

68. Non judices te plus ditari, si opes, quàm si honor, accrescat. Semper famæ, quàm nummi dignior est cura. Cum infamia ditescere, pessima jactura. Bonum nomen ingens patrimonium.

99. Nusquam in hoc mundo securè agitur. Malus semper metuit Leges, bonus semper fortunam. Nam hujus ira bonis etiam infesta est : illarum pæna solum insequitur malos. Securissima mora est quæ in eo, quod convenit, deliberando insumitur.

70. Ad evitanda vitæ discrimina plus conducunt consilia, quàm vires. Pejus est nescire vivere, quàm non posse. Plus laborandum est, sortem bonam ut serves, quàm ut invenias.

*DECAS VIII.*

71. Sta verbis tuis, & quod pollicitus es, non infringe. Fide enim semel amissa nihil superest, quod amitti possit. Assuetudine jurandi periclitaris de fide: vocas

enim in dubium, quod verum est. Qui non amat vera audire, nec consueverit vera loqui. Adulatio vitium est sui tenax, & expers emendari.

72. Credere omnibus, aut credere nulli utrumque vitiosum est. Primum plus habet urbanitatis, alterum plus securitatis.

73. Parum veritas inest illi, qui agit, quod in aliis condemnat. Neque minus fallit, qui aliud, quam quod loquitur, agit: quam qui aliud, quam quod loquitur sentit. Ille decipit alterum, iste fallitur à se ipso.

74. Neminem odio habueris, quia deliquit. Infanum est peccare a versando peccantem. Nunquid enim rationi aduersatur perdere innocentiam, quia alius eam non conservarit? Non sunt delictis delicta castiganda.

75. Si ipse vitiosus es, cur non condonas tibi simili? si autem desiisti esse, da moram, ut & in hoc alius assimiletur tibi.

76. Illum, qui citò iudicat, citò pœnitent iudicasse. Quemadmodum in cursu haud bene observas, quæ transeundo vides; ita qui censuram præcipitat, indicat se malè advertisse.

77. Cum omnibus pacem habeto, cum vitiis bellum. Præ cæteris autem procura tecum ipso concordiam, id est, ut cogitatis consentiant verba, verbis opera, operibus voluntas.

78. Cùm rerum eventus nequeant aptari votis nostris, aptanda sunt vota eventibus, eorúmque moderatione præoccupandus dolor, quo gravamur. Imprudentia est, quod longè abest, vel omnino abest, efflictim concupiscere, & quod ad manus est, negligere.

79. Servire temporis munus est honoratū, imò & Regium: servire, quia cogaris, mæcipii: servire, quia sponte vis, ingenui.

80. Time magis conscientiam, quàm famam. Optima fors felicissimi est innocentia, neque laus ulla major, quam meruisse laudari. Interest non quis videaris, sed quis sis. Quid juvat te commendari, in quo conscientia te damnat.

*DECAS IX.*

81. Magnæ pollicitationes jure solent esse suspectæ: qui illas offert, cùm ægre queat præstare, aut decipit alios, aut si se ipsum non fallit, stultè obstringit.

Grandia dona plùs amant dari, quàm promitti. Satiùs autem est grandia præstare, quàm spondere. Age quod spononderis, non spondeas, quod forsitan acturus non es.

82. Verè dicitur communi adagio: *Qui citò dat, bis dat.* Muneris pretium voluntas est, & hæc celeritate constat. Offensam excedant benefacta, & beneficia gratitudo.

83. Feliciter errat, qui corrigentem habet. Carent hoc dono feliciores, neque Socrates in Principibus reperit. Plebeios deliciæ non obruunt: plùs curant, ut vivant, atque ideo facilè corriguntur, aut legum fræno continentur. Totù hoc alienum est à Principe; cum paucis agit, & hi non loquuntur nisi placentia, aut non excitantia sensum.

84. Non sunt dispensanda imperia cum potestate Dominantis, sed in mansuetudine Patris. Naturâ suâ subjectio gravis est, atque ideo mitiganda affabilitate imperantis.

85. In consiliis audiendi sunt omnes, sed quod rectum est statuendum. Quod statueris,

tueris, non exequere per eos, qui non probârint. Turpe est errare in idipsum: nam & bruta primus casus cautiora reddit. Qui dissentit statuendis, non promovebit statuta.

86. Consilium, quod voto tuo arriserit, suspectum habe, & timeas exequi. Nam vel imprudentiæ arguêris, quòd malè cæperis, vel inconstantia non continuando quod inchoâris.

87. Consilium prudentius est, quod securum: opportunum, quod expeditius: quod facile, acceptabilius; optimum quod includit hæc omnia. Id innuebat Asclepiades, probabâtque Cornelius Celsus, asserens Medicorum esse, mederi cum securitate, cum brevitatem, cum voluptate.

88. Nostro sæpe ineptimus iudicio; idcirco sensui tuo nè nimium adhæseris: sic enim quilibet, nè te offendat, sinet errare.

89. Solon scisâ in partes Republicâ neutri dicebat adhærendum. Non æquè id tutum est, cùm duo potentiores diffederint. Nam Pace reducta unus obliviscetur obsequii, alter meminerit injuriæ, quâ  
se

se credet impetitur. Evenire hujusmodi, quod vesperilionibus, solet: avium muriumque induti formam ab utrisque patiuntur. Ità & illi fugiendo discrimen, incurrunt. Quanquam neque ipsum periculum vincere expers est periculi. Felix malum, in quod virtuosus incurrit! neque ulla est tanta felicitas, quam non infestent mortalium quærelæ.

90. Crudelitati multa cum inhonestate societas est. Mens humana habitare non solet in domo subdita affectibus ferinis.

DECAS X.

91. Luxum vestium optimè dixeris inscriptionem vanitatis. Insipiens est, qui facit impensas, ut vanus censeatur: se depauperat, ut credatur dives.

92. Duobus malis subjacet ambitio: redditur odiosa, & fit infelix. Rarò evenit prosperè, si quis contendit Domino suo æquari.

93. Admodum pretiosa rarò profunt possessori, & quod multis arridet, ægre potest retineri.

94. Cum arte solet punire Justitia Divina: æquat pœnam culpæ, & per ipsa peccati

cati instrumenta corripit delinquentem. Prudentiorum observatio est, illos, qui in juventute damnandâ licentiâ Ligatas depravant, deinceps talionem experiri in suis, & vel successione destitui, vel pessimâ & non victurâ prole castigari.

95. Interitum Regnorum non tam efficit copia criminum, quàm impunitas delinquentiû: quando scilicet neglectâ justitiâ viget consuetudo peccandi, & ipse magistratus peccat non puniendo, complex criminis, & reus omissionis.

96. Minus officit immodicus rigor, quàm nimia remissio; neque tyrannis tam nociva est, uti projecta licentia. Ubi Magistratus non advertit in scelera populi, ibi Deus castigat: populum & Magistratû. Indulgendo namq; nocentibus injuriantur probi, & non punivisse crimina approbasse est. Severitas enim proxima est bono justitiæ.

97. Reverentia Legum, & respectus Superiorum Palladium est Reipublicæ: huic innititur ejus securitas. Augurare Regni interitum, ubi videris Magistratû contemni, Ibi enim neque legibus vis est, neque

neque honor imperatis, neque authoritas imperanti.

98. Magistratus si auro comparari possunt, possunt & auro annihilari. Si venales sint honores publici, non qui meruerit, sed qui ditior fuerit, obtinebit. Ità quisque per mille iniustitiæ vias nummos congeret, aditurus Magistratum tantò indignior, quantò nummosior.

99. Vulgus medium non tenet: aut nimium res attollit, aut nimium deprimit. Habent hoc viliores animæ, facile exerant, & medio, ubi virtus est, nequeunt consistere.

100. Voluntate plebis nihil instabilius, sed & fortius nihil: nam quisque multitudinem sequitur, & si quid illa affirmat, Ratio locum non habet: instar torrentis non pergit, sed rapit omnia. Si passio desit, vox populi vox Dei est; ubi passio adfuerit, vox populi vox diaboli est. Passionis ductum sequuntur plurimi, Rationis pauci.